Acies Ordinata

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B. M. V.
OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V.

NUMERUS 7 – ANNI I | Octobris 1924 | ROMA (17), VIA DEGLI ASTALLI, 16

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

Sitne Congregatio Mariana opus christocentricum?

Recentiores quaedam organisationes, praesertim iuventutis, saepe obiiciunt Congregationibus nostris, quod hae non sunt " christocentricae ", sed " mariocentricae ". Atqui perfectius esse dicunt, si associationes religiosae directe ad Christum Dominum tendant, non ad B. V. Mariam. Imo aliquando ita contra Congregationes Marianas argumentantur: " Vos (Sodales) *Mariam* veneramini, nos *Christum;* vos devotiones *Marianas* prosequimini, nos vero *eucharisticas* et liturgicas ".

Estne verum, quod ita obiicitur?

Minime. Nam:

1. *Cultus B. M. V. in Congregatione non est finis proprie ultimus,* sed est in ultima analysi *medium* ad finem unice ultimum, qui est Christus Dominus. Hoc apparet

a) ex ipsa *definitione* Congregationis, uti e. g. Regula 1 exhibetur. Dicitur enim ibi: " Congregationes Marianae... ordinantur ad fovendam in membris suis ardentissimam devotionem, reverentiam et amorem filialem erga B. V. M., et **ope** *huius devotionis* et tam bonae Matris *patrocinio* ad reddendos fideles sub ipsius nomine congregatos *bonos Christianos,* qui sincere satagant se in suo quisque statu *sanctificare* et enixe curent..., ut *salvent et sanctificent* alios et defendant *Iesu Christi Ecclesiam* contra impiorum hominum impetus ".

Itaque Congregatio ipsum cultum B. Virginis ordinat ad *Iesu Christi* servitium.

b) Idem apparet ex aliis *Regulis,* quae omnes ad id spectant, ut Sodales *boni Christiani* fiant, et etiam nominatim: Christiani *Eucharistici;* ideo Communiones generales praescribuntur (Reg. 7, 8), Communio frequens et cotidiana atque Missa cotidiana commendantur (Reg. 34) etc. Imo Regulae multas exercitationes praescribunt vel commendant (e. g. Exercitia spiritualia, tradendam Doctrinam christianam etc.), quae primario " Mariana " esse nemo dixerit.

c) Idem ostenditur *historia Congregationum antiqua et recente.* Nemo prorsus, nisi iniuria, affirmaverit, Congregationes rem suam absolvisse obeundo Marianas aliquas devotiunculas neque potius Sodales, utique Mariana schola excultos, emisisse ad omnia pietatis opera, atque inprimis ad vitam encharisticam formasse. Reapse quid fecerunt Congregationes Marianae et quid faciunt hodie, nisi instaurare vitam christianam, redintegrare frequentiam Sacramentorum, propagare et exercere Communionem frequentem, amorem et defensionem Ecclesiae? Quid faciunt, nisi quod per Mariam ad Iesum homines ducunt eosque saepe ad summum sanctitatis apicem elevant?

2. Neque bene inter Catholicos intelligitur, quomodo quis *cultum B. V. Mariae quasi opponere cultui Christi possit.* Inter cultum enim Matris et Filii non est oppositio, sed mira unio et vicissim influens efficacia. Concedimus utique in modo procedendi sacerdotibus diversas vias patere: posse nos fidelibus mox ipsum Christum Dominum per se, mox simul cum Matre ostendere. Concedimus etiam, quoad effectum mere psychologicum, aliis hunc, aliis illum modum precedendi magis arridere. Sunt fideles (e. g. ex protestantismo recens redeuntes), quos primo conversionis tempore magis afficiat imago Christi solius; sicut e contra alios ad veram religionem magis attrahit (psychologice loquendo) imago Matris Dei, Matris Misericordiae etc. Sed quisnam inde inferet *realiter* praestare et quasi *dogmatice* rectius esse: abstinere a Matre et solum Christum directe colere? Quisnam dicet Mariam non esse iam viam aptam, quae ducat ad Iesum, sed solum additamentum religionis nostrae, ita ut non " per Mariam ad Iesum ", sed (ut quidam dixit) " per Iesum ad Mariam " accedendum sit? Si autem dogmatice rectum est: ire ad Iesum per Mariam, etiam " psychologia " fidelium hoc modo formanda et corrigenda est.

Est B. Virgo gratiarum omnium mater, ergo etiam cognitionis et amoris erga Iesum. Est Mediatrix gratiarum et spes fidelium. Est summa nostra Patrona, cui moriens nos Christus tradidit. Est perfectissima famula Christi et summum exemplar imitationis et servitii eius; qua in re ne a Christo Domino quidem ipso suppleri vel superari potest, nam Christus Dominus non potest dici seipsum esse " imitatus " vel sibi ipsi perfecte

" servivisse ". Praeterea cultus B. Virginis miro modo introducit nos in intimitatem et proximitatem Christi, in familiaritatem domus Nazarethanae, in regnum affectuum eius et Cordis ipsius. Mirum igitur omnino esset timere, ne cultu Mariano aut cultui divino derogetur, aut fideles a cultu religionis catholicae et a Christo absterreantur. (Quodsi hoc ultimum timetur, timeo, ne nimis protestanticis tendentiis indulgeamus, fortasse hoc ne animadvertentes quidem !) Etsi enim aliquando prudentia pastoralis suadeat, ut aliquam veritatem alicui homini in fide debili pro tempore abscondamus, generali modo tamen hoc facere velle manifestus error esset, maxime ubi de tam praeclaro et efficaci religionis nostrae adiumento agitur.

Si igitur aliquo in loco devotionis Marianae intelligentia apud catholicos obnubilata esset, potius omnia tentanda essent, ut fideles de excellentia huius tam catholicae devotionis rite edoceantur, non vero contra ipsam utilitatem devotionis Marianae minus apte disputandum.

3. Videntur tandem obiicientes duo confundere, quae tamen distinguenda sunt. Videntur putare in Congregatione Mariana ita intelligi cultum Marianum, acsi omnes fere Directoris allocutiones, omnia exercitia pietatis Sodalium communia *directe et expresse Mariana esse oporteret.* Manifestus hic error est. Cultus Marianus centralem utiqu locum in Congregatione obtinet, hoc verum est ; neque tamen hoc sensu, acsi semper themata mariologica essent evolvenda, aut preces Marianae fundendae (imo etiam ubi devotio expresse Mariana habetur, non sistitur in ea, ut supra diximus, sed semper aliquomodo ad Christum, ut ultimum scopum, transitus fit). Aliud enim est : omnia *sub specie cultus Mariani,* seu *ex amore* speciali erga B. Virginem agere ; aliud : nonnisi specialiter et *formaliter Mariana curare.*

Reapse in Congregationibus supremum locum semper Christus occupat ideoque Congregatio institutio est christocentrica. Cultus Marianus est *circulus centralis* omnis operationis in Sodalitate, sed in *ipso centro* circuli centralis cum B. Virgine ipse Christus stat, unitus illi, ut filius matri.

Hanc igitur unionem, quam Deus ipse statuit, utquid distinctionibus nimis subtilibus solvere aut corrigere conemur ?

Obiicis : Magis, quam Congregatio, prodest unio quaedam eucharistica, e. g. Societas Nominis Iesu Dominicanorum. Pauco labore multos provehit ad communionem menstruam.

Respondeo : Et quidnam prohibet, quin communioni menstruae addatur *apostolatus organisatus ?* Hoc et culto Mariano addito habes Congregationem.

De rationabilitate apostolatus nostri

Epistola ad Editorem

Non tantum cum gaudio, sed fere cum exsultatione legi articulum primum ultimi numeri " Aciei Ordinatae ", epistolam ad Editorem et responsum huius ; tantopere assentio ibi dictis de apostolatu rationabili, ut eandem thesin aliunde confirmare cupiam.

Revera miranda res est, quod iuvenibus clericis atque etiam sacerdotibus tantopere inculcatur fervor ascesis, zelus apostolicus, bona intentio in agendo, humilitas etc., de altero autem requisitorum genere, quod spectat ad *modum agendi* in apostolatu, raro aliquid audimus. Inculcantur ea, quae ad *voluntatem* spectant ; parum vero ea, quae ad *methodum* laboris apostolici pertinent. Intelligo primum, est enim summe necessarium ; sed non intelligo omissionem alterius rei.

Ad fructuose enim laborandum praeter bonam voluntatem et praeter studia mere theoretica requiritur etiam ut condicio substantialis : rectus et rationabilis modus agendi. Quem hodie invenire et addiscere non est facile negotium. Tantae enim sunt difficultates et tanta inimicorum molimina, ut eis obviam ire cum fructu non possimus, nisi aeque atque illi laborum nostrorum efficaciam artibus adminiculisque specialibus augere sciamus. Eoque magis hodie magna arte et rationabili agendi modo opus est, quod fere ubique terrarum *inopia sacerdotum* laboramus ; quare peculiari cura nobis modus atque ratio laborandi seligendae sunt, ut quod *numero* operariorum praestare non possumus, id *ubertate* interna et efficacia mediorum bene electorum suppleamus.

Quid sibi vult vox " apostolatus *rationabilis* "? Nam omnis actus virtutis, ideoque etiam apostolatus, rationabilis, i. e. prudens esse debet. Videtur igitur omnis apostolatus recte ordinatus rationabilis esse. Respondeo : sane ita est ; verum rationabilis per emphasin dicitur apostolatus ille, qui non tantum generalibus prudentiae legibus obsecundat, sed etiam *peculiari diligentia et mentis acumine circumspicit, quaenam sit via et ratio agendi apostolica illa, qua aequo labori maior et universalior fructus respondeat.*

Hanc *rationabilitatem apostolatus* (ignoscant mihi aures ciceronianae Rev. Vestrae !) commendat praeter Evangelium ipsum (Lc. 14, 28 sqq.) S. Parens Ignatius, ubi tanta eloquentia nos in Constitutionum parte VII adhortatur, ut universaliora prae operibus magis particularibus eligamus, diuturniora et semper profutura prae iis, quae minus diuturna sint vel nonnisi raro et ad tempus exiguum iuvent etc. ; ubi uberior fructus speretur, maiusque sit periculum, ibi accurramus ; neque in

eligendis laboribus alia re ducamur, quam " *sincerissima* et rectissima intentione *maioris* Dei obsequii, *maioris* boni *universalis* " (1). Idem commendat ipsa ratio et simplex ac sanus modus cogitandi.

Cur tamen de rationabilitate apostolatus nostri tam parum sermo fit? Cur putatur quivis, dummodo ascesi et scientia theologica utcunque excultus sit, iam aptus et paratus esse ad laborandum in vinea Domini? Cur intromittimur in campum laborum et " responsabilitatum " enormium, nec tamen de modo et methodo agendi rite edocemur? An tam facilis est ars apostolatus contemporanei, ut quivis etiam incultus eam calleat? An tam vilis et insignificans est ista palaestra, ut operae pretium non sit artem bene in ea pugnandi didicisse?

Dicet aliquis: quid vis! nonne discimus theologiam moralem et pastoralem? modum concionandi, confessiones audiendi, moribundis assistendi? Annon hoc sufficit? Sed repono: apostolatum hodiernum praeter ista simpliciora et semper aequalia sacerdotis munia multis aliis rebus constitui, quae in theologia morali et pastorali non tractantur, quaeque nihilominus *summi momenti* sunt ad animarum lucrum. Sic e. g. ipsum officium Directoris Congregationum Marianarum res est, quae saepe *non discitur* et sine ulla praeparatione tamen *exercetur*; plus minusve fructuose. (Magis " minus " quam " plus "). Et quanti alii labores, quantae aliae occupationes operam Sacerdotis exspectant, nec sine cognitione rerum intima bene promoveri possunt!

Deficiente praeparatione et studio totius systematis operum apostolicorum fit deinde, ut iuvenes sacerdotes, etiam NN., ignorent locum, pondus et momentum singulorum operum; ignorent cohaesionem et nexum illorum; ignorent e. g. quis locus tribuendus sit associationibus variis iuxta Congregationem et viceversa; quantum debeant associationes et Congregationes sequi principium parochiale, et quantum debeant esse interparochiales; ignorent, quid prius, quid posterius agendum sit, e. g. quando in urbem veniunt, in qua religio satis neglecta est etc. Et interrogo audacter: quam pauci sunt, qui circumspexerint modum, quo operarii a socialistis retrahantur, quo caritas modo rationali exerceatur, quo lectores malarum ephemeridum ad bona diurnalia legenda incitentur, quo indifferentismus religiosus vel liberi mores in aliqua urbe corrigantur etc.? An haec omnia relinquenda sunt experimentis cuiusvis recens adventantis? An inimici nostri similiter agunt? simili myopia laborant? Nonne meremur sic aliquando querelam Domini, quod " filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt "? (1).

Necdum quidquam dixi de maioribus illis et maximis apostolatus modis, qui cum universalissimi sint, nos Societatis filios inprimis afficere debent. Quomodo vita culturalis temporis nostri reformanda sit? Quomodo vita socialis instauranda, quomodo quaestionis socialis tremenda problemata solvenda? Quomodo scholae, Universitates, ephemerides, theatra, spectroscopia etc. non solum malis eripienda, sed in religionis servitium restauranda sint? Quomodo missiones exterae multo melius et uberius, quam hactenus, iuvandae sint, eleemosynae multiplicandae, vocationes augendae? Quomodo tota vita publica ab hostium religionis imperio vindicanda sit et principiis christianis imbuenda? Hae enim omnes quaestiones sunt nimis urgentes, difficiles, implicatae, quibus solvendis operam dare nemo utiliter poterit, nisi multum istis rebus studuerit.

Ecce necessitas maioris *rationabilitatis* in apostolatu catholico. Non solum *agendum* est, non ubicumque et quomodocumque laborandum, nec solum *sacrificare* se sufficit, sed consilio inito, studio praemisso, scite et perite quaerendum, qua ratione *plura* et *maiora* efficere possimus.

Etiam valor laboris nostri in Congregationibus mea quidem sententia inde maxime pendet, qua ratione *apostolatui contemporaneo rationabili* inserviat. Si enim Congregationes nostrae solum ad id serviunt, ut aliquot denos fideles peculiari aliqua pietate repleant, timeo, ne eis regendis Nostri ab utilioribus et universalioribus laboribus avocentur. Si vero scholae fiunt rationabilis et universalis apostolatus, utiles profecto sunt, imo audacter dicam — magis necessariae et ad altiora vocatae, quam Congregationes ullius temporis anteacti!

Iam quaeritur: suntne Congregationes nostrae, suntne generatim opera et ministeria nostra vere opera apostolatus rationalis? Suntne directa ad eas necessitates animarum sublevandas, quibus res catholica hodie maximum premitur? et a quibus futura prosperitas Ecclesiae salusque plurimorum maxime pendebit?

Non audeo respondere huic quaestioni. *Aliquae* certe Congregationes nihil mihi videntur esse, nisi refugia sacerdotum labores magis arduos repudiantium vel timentium; pia otia, ubi paucis fidelibus piis sese circumdant eorumque pietate seducuntur ad putandum: omnia esse in ordine. Satis se laborasse hi autumant, si paucos hos devotos lacte quodam ascetico pascant; ceterum vero faciunt, sicut quidam (horrenda latinitate) dixit: " sinunt vadere mundum, quomodo vadit ". Et ad defendenda sua otia contegunt se litteris Superiorum

(1) P. VII, c. 2, n. 1, etc.

(1) Lc. 16, 8.

nostrorum Congregationes Marianas commendantium! Quod quidem nisi iniuria nequaquam eis facere licebat. Non enim eiusmodi Congregationibus tanta encomia Superiores profuderunt. Persuasi mihi neque nostram "Aciem Ordinatam" *hisce* Congregationibus palmam porrigere velle. Eiusmodi enim Congregationes serium laborem universalemque impediunt magis, quam iuvant, suntque spiritui S. P. Ignatii, uti ex allata Constitutione patet, oppositae.

Veras et genuinas autem Congregationes medium esse apostolatus rationalis pro nobis, nemo negaverit. Sed tunc omnia praestanda sunt, ut verae a falsis discernantur et Nostri, iuniores ac seniores, discrimen inter has et illas probe videant, modusque ille (heu satis aliquando inveteratus!) Congregationes falso concipiendi et more otioso regendi vigorose reprimatur. Tum demum nomen Congregationis iterum bene ubique audiet, tum omnes Nostri operarii et iuvenum educatores ad illam concurrent, uti magnarum rerum parentem et radicem, apostolatus cuiusdam vigorosi, universalis et rationalis scholam et seminarium.

Haec mea modesta opinio, quam ad calcem articuli citati sincere manifestare, cum R^lae V. venia, volui. I. E.

Nota Editoris: Nihil est, quod addamus. Patri I. E. omnino assentimur, quamquam sentimus, non aeque omnia ab omnibus fieri posse. Utinam omnes Directores tam alte de Congregationibus nostris et apostolatu rationali sentiant!

DE SECESSU UNIUS DIEI

Omnibus perspecta est magna utilitas secessus sacri, quo fideles, et maxime Sodales, sacris Exercitiis operam dant. Exercitiis tamen pressius dictis, etiamsi triduo tantum prorogandis, non raro difficultates seriae viam obcludunt. Sunt, qui nullo modo a domo sua aut labore et occupatione abesse vel triduo permittantur; sunt, quos inopia impediat ab expendenda quamvis parva pecunia. Aliquando ipsa domus Exercitiis faciendis adaptata deest.

Solent Directores, his difficultatibus circumdati, Exercitiis pressius dictis, seu "clausis", supponere conciones vespertinas per hebdomadam productas, quae generatim "Exercitia aperta, seu publica" vocantur. Etiam haec consuetudo utilis est, sed longe remanet ab utilitate veri secessus, seu Exercitiorum in solitudine, silentio, meditatione factorum. Adeo hoc verum est, ut in congressu Oenipontano de Exercitiis habito (anno 1922) generali modo edictum sit, *plus valere verum secessum vel unius diei*, quam Exercitia illa "aperta", seu conciones vespertinas, etiam per integram hebdomadam productas. Visum est tamen neutrum usum pium nomine Exercitiorum esse cohonestandam, hancque appellationem reservandam esse sacris secessibus "clausis" octiduo vel certe triduo productis.

Nunc vero nunciatur ephemeride quadam pastorali; egregios fructus edi quibusdam in locis *secessibus unius diei*, quippe qui facillime omnino et sine ullo incommodo fere ubique institui possint et ad reformationem vitae vel ipsi multum conferant.

Secessum unius diei, e. g. die dominico vel festo, omnes omnino, etiam operarii vel publicis officiis fungentes facile subire possunt. Ne unam quidem noctem a domo sua abesse coguntur. Pecuniam nullam solvunt. Timore silentii triduani et longarum meditationum nemo avellitur. Uno die se mundo subtrahere etiam illi libenter consentiunt, qui Exercitiorum vel nomen perhorrescunt. Sic Sodales nostri multo plures ad brevem certe secessum allicere possunt, quam ad longiorem recollectionem. Et tamen vel unius diei secessu multi ad meliorem frugem revocantur, multi ad vitam animi reformandam accenduntur, teste experientia.

Quomodo secessus isti instituuntur? Sacerdos diem figit certum, pro singulis fidelium classibus et sexibus diversum. Sodales nomina eorum, qui venire volunt, colligunt. Die determinato (e. g. dominica) ii, qui rei interesse volunt, summo mane conveniunt (de loco statim dicemus) et totam diem silentio et rebus spiritualibus agunt. Quatuor vel quinque meditationes dantur; e. g. hora 7 (cum Missa), hora 9, 11, 3, 6: de fine hominis, de peccato, de novissimis, de Christo. Leguntur capita quaedam Evangelii, Imitationis etc. Post meditationem primam pomeridianam fit confessio. Vespere devotio habetur cum consecratione ad SS. Cor Iesu, et cantatur "Te Deum". Postea suam quisque domum repetit; sequenti tamen mane iterum conveniunt ad s. Communionem et ultimam brevissimam allocutionem. Imagines parvae cum exhortatione brevi ad constantiam incitante distribuuntur.

Quisnam sit locus talis secessus unius diei? Domus aliqua apta, e. g. associationis alicuius, vel scholae, duas certe aulas continens: in altera meditationes fiunt (ornetur haec statua vel imagine SS. Cordis), in altera homines tempus liberum legendo, vel scribendo, vel meditando transigunt. Praestat domum habere templo proxime adiacentem, ut interdiu visitari SS. Sacramentum possit. Si domui etiam hortulus additus est, eo melius.

Quomodo victui provideatur? Simplicissime omnino: suum quisque victum secum afferat, sicut in excursionibus fieri solet. Meridie iusculum vel thea calida facillime omnibus porrigi potest; item sub vesperum. Pecunia nulla exigitur; oboli tamen libere oblati ad altare deponuntur, ad expensas levandas.

Res est simplicissima et tamen utilissima; simul occasionem commodam praebet Sodalibus ad apostolatum exercendum. Director quidam magnae alicuius associationis iuvenum nuper ait, nunquam se adeo gavisum esse, quam cum iuvenes suos hac exercitatione quasi transformatos et spiritu renovatos sensisset.

Obiciis: Apud nos iam aliae organisationes similes locum occupaverunt, quibus iuventus et viri omnino absorbentur, ita ut vix sit Congregationi locus.

Respondeo: Mirum esset, si illi organisationi locus non esset, quae maxime forte apta est ad apostolos laicos excitandos et systematice formandos; quaeque maxime est nostra.

Sunt varii gradus...

" Alia est claritas solis... lunae... stellarum... "

Congregationibus nostris applicari quodammodo potest gradatio illa, quam quidam de Residentiis nostris ludi familiaris causa instituit.

Sunt enim — inquit ille — Residentiae, quae vix plus praestent, quam quod bonos aliquos confessarios habent; saltem sciunt urbis incolae, ubinam bene confessionem peragere possint. Praeterea aliqua bona consilia venientibus et rogantibus dantur, moniales spiritualibus exercitiis et quatuor temporum confessionibus expoliuntur. Congregationes quoque, si quae in huius gradus Residentiis sunt, pii utique, sed languentes coetuli sunt: coecorum, claudorum, debilium, aliorumque id genus. — Etiam hae Congregationes aliquid boni praestant, etsi exiguo circulo circumscripti; laborant etiam hae ad Dei gloriam; nisi quod non recte videatur, quo iure in stigmate isto: A. M. D. G. littera *M* utantur.

Sunt deinde Residentiae, quae vitam religiosam illius loci uberem et largam nutriant; non tantum debiles et claudos, sed homines " ex omni genere piscium " magno numero congregant: iuvenes et senes, cultos et incultos, sanctos et peccatores. Splendor et amoenitas rituum, vigorosae conciones, conferentiae, circuli, opera zeli et caritatis magnam copiam hominum attrahunt, quorum optimi in Sodalitatibus variis et vita turgentibus exculti Patribus ad labores varios succurrunt. Sunt igitur hae Residentiae cum Congregationibus suis totidem centra renovationis vitae religiosae, frequentiae in usu Sacramentorum, conversionis et fervoris multorum. Vere ad *maiorem* Dei gloriam laborant.

Sunt tandem Residentiae cum Congregationibus, ubi PP. ne frequentissimo quidem populi ad templum concursu contenti sint, sed influxum suum salutarem ad largiores et latiores vitae socialis campos extendere satagant; nec tantum *singulos* peccatores convertere, vel *singulos* fideles ad religionis amorem perducere volunt, sed *totum* ambitum opinionis publicae, instructionis in scholis, vitae scientificae, culturalis, socialis ita spiritu catholico imbuere conantur, ut ipsa vitae socialis institutio centenis milibus via sit ad religionem et salutem. Congregationes harum Residentiarum in id tendunt, ut quae Patres in hac via ipsi per se facere nequeunt, ab apostolis laicis fiant: prudenti perspicacia et magno nisu. Hae Residentiae cum Sodalitatibus suis illud *M* in emblemate nostro duplici iure merentur, quia non solum " maiorem ", sed " maximam " Dei gloriam efficere contendunt.

Ad quemnam gradum, amicissime lector, tua Congregatio pertinet?

Obiicis : Congregatio rigida quaedam institutio est; ego maiorem libertatem et varietatem in operibus talibus amo.

Respondeo : Rigida? Econtra, vix est organisatio similis, quae tantam libertatem et latitudinem indulgeat agendi, pro loci, temporis, hominumque necessitate varia.

EPISTOLAE AD EDITOREM [1]

Sitne Congregatio Mariana " Pia Unio "? In articulo " De Congregatione et Tertiis Ordinibus " (n. 4 " A. O. " pag. 37 sub 1) dicitur: " Congregatio e contra solum *pia unio* est ". In eodem numero (pag. 46) quaestio ponitur: " sitne Congregatio Mariana « confraternitas »? " et resp.: " Congregatio Mariana nullatenus est confraternitas sensu Codicis, sed simpliciter « pia unio »... ".

His affatis assentire nequeo. Nomen commune et genericum societatum piarum pro fidelibus laicis est " associatio " (can. 684). Codex Iuris agnoscit *tria genera specifica*, distincta quoad finem, quem *directe* prosequuntur:

A. Associationes *" ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam "* (can. 685), ad quas, ut clare patet e can. 700, Codex solos Tertios Ordines saeculares computat.

B. Associationes *" ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda "* (can. 685), quae in can. 707 " piae uniones " nominantur. Si hae piae uniones *" ad modum organici corporis constitutae "* sunt, tunc *sodalitia* audiunt (can. 707, § 1), si simul haec pietatis aut caritatis opera spectant.

C. Associationes *" ad incrementum publici cultus "* (can. 685). Hae vocantur a Codice *confraternitates* (can. 700, 707 § 2).

Quaeritur: ad quodnam genus pertinet Congregatio Mariana?

Mihi videtur respondendum: C. M. *non* est pia unio, *neque* sodalitium, *neque* certo confraternitas. Ergo Congregatio pertinet *ad primum genus* (sub *A*). Videntur etiam aliae associationes existere ac Tertii Ordines, quae ob *finem suum directum* ad primum genus computandae sunt, e. g. Congregatio Mariana, quae intendit non tantum, sicut piae uniones, *aliquod* opus pietatis aut caritatis, sed certe et *directe,* ut perspicue patet e Statutis, " perfectionem christianam ". Devotio erga B. M. V. eiusque cultus tantummodo *medium* est ad virtutem et perfectionem, sed finis certissime tendit: *" ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam "*. Ergo C. M. non est pia unio, sed pertinet ad primum genus (sub *A*). Attamen non est Tertius Ordo, cum non sit " sub moderatione alicuius Ordinis secundum eiusdem spiritum ", neque regulas habeat, quae " qua tales " ab Apostolica Sede sunt approbatae, ut exigitur pro Tertiis Ordinibus (can. 702 § 1).

Congregationem non esse proprie confraternitatem, quia non est *" ad modum organici corporis constituta "*, iam articulis citatis bene probatum est.

Quid igitur est nomen *specificum* Congregationis Marianae, quae *directe* tendit ad perfectionem christianam et tamen non est Tertius Ordo? Mihi videtur Codex non dare ei nomen specificum, cum C. M. non sit Tertius Ordo, neque confraternitas, neque sodalitium, neque pia unio. Ergo tantummodo iuridice habet nomen genericum: " associatio ", sed specifice secundum denominationem, quam Codex, non habet, *" Congregatio "* dicitur.

IAC. MULDERS S. I.

(1) Hoc loco libertas loquendi plenissima lectoribus aperitur. — *Ed.*

QUAESTIONES PRACTICAE

Quoties conventus haberi debeant, ut Indulgentias Congregationi concessas Sodales lucrari possint?

Scribit Pater quidam: " Est apud nos typus quidam Congregationum, quae magnam partem, imo aliquando omnino, Sodalibus *ruri dispersis* constituitur (e. g. feminis nobilibus ruri habitantibus, vel institutricibus et ludimagistris, qui per pagos dispersi vivunt). Hi ob magnam longinquitatem locorum et difficultatem itinerum plenarios conventus vix semel in mense, imo aliquando solum ter quaterve per annum agere possunt. Egregie tamen laborant, spiritum Congregationis insigniter fovent. Iam quaeritur: lucrenturne Indulgentias Congregationi concessas? Periti in arte hac de re multum dubitant ".

Respondendum videtur: Omnes Sodales admissi, nisi dimittantur, aut ipsi e Congregatione egrediantur, lucrari possunt communes Indulgentias Sodalibus concessas, si opera, quae ad has lucrandas praescripta sunt, praestiterint. Opera autem sunt consueta: confitendi, communionem sumendi, sacellum vel oratorium Congregationis invisendi etc. Nihil de frequentia conventuum in elencho Indulgentiarum apponitur, ergo nulla esse videtur ratio restringendi adeptionem Indulgentiarum ad hunc vel illum numerum conventuum in mense habendorum, tamquam ad condicionem.

Imo non apparet, cur negemus, Sodalem etiam tum Indulgentias lucrari posse (e. g. diebus quibusdam festis affixas), si consuetis Congregationis exercitiis, etiam habitualiter, renunciet. Documenta enim Pontificia non apponunt tamquam condicionem Indulgentiarum lucrandarum ut quis etiam regulas bene servet. Unica condicio (praeter opera etc.) ea est, ut quis *Sodalis* sit: admissus, nec dimissus. (Imo sunt Indulgentiae, quas omnes Christifideles lucrari possunt in aede vel oratorio Congregationis. Cfr. *Mullan,* n. 2004 sqq.).

Difficultatem solae parant Indulgentiae, quae *conventui ipsi hebdomadario tribuuntur.* Sic in Summario Indulgentiarum dicitur inter Indulgentias plenarias solis Sodalibus concessas:

" 5. Seme in hebdomada, quo die libuerit, si, praecedenti vel eodem die confessi, ad Sacram Mensam accesserint, dummodo intra hebdomadam Sodalitatis conventui adfuerint ". (*Mullan,* n. 1987).

Tum inter " Privilegia " additur:

" 20. Indulgentiae conventibus hebdomadariis adnexae valent etiam si conventus tantum bis in mense fiant ". (ibid. n. 2014).

Videtur igitur saltem haec Indulgentia nonnisi ab iis obtineri posse, qui singulis hebdomadis, vel certe altera quaque hebdomada (uti privilegium superius citatum effert) conventus agunt.

Sed res nequaquam ita esse videtur. Illud: " semel in hebdomada " indicat solum Indulgentiam istam *non pluries,* quam semel in hebdomada, lucrari nos posse, uti ex textu prioris Summarii a Leone XIII editi patet (*Mullan,* n. 1656) et maxime e clausula addita (ibid. n. 1657 et 1658). Ibi enim dicitur: Indulgentiam dari " semel in hebdomada iis diebus, quibus, iuxta Primae Primariae *sive aliarum Sodalitatum statuta ac regulas seu consuetudines,* Sodalitii conventus haberi solent " etc. Illud vero: " semel in hebdomada " ita explicatur, ut etiam si pluries in hebdomada ad pia et consueta exercitia congregentur, Indulgentiam istam nonnisi semel lucrari possint. Imo expresse dicitur " *praefatam* Indulgentiam plenariam " semel aut bis in anno eos quoque consequi posse, qui " *non in propria ipsorum Sodalitii, sed in alia ecclesia, oratorio, sacello* Eucharisticum Panem percipiant " etc. Quae quidem ultima concessio in summario novo omnino disparuit, mentem tamen concessionis primariae satis explicat: Indulgentiam conventibus tributam non esse ligatam ad certum numerum conventuum frequentatorum. Certe haec omnia indicare videntur: perinde esse, quoties fiant conventus; *dummodo agatur de conventibus per statuta seu regulas vel consuetudines locales determinatis,* Indulgentiam plenariam illis diebus Sodales lucrari posse, dummodo illis conventibus intersint et praescripta opera (communionis etc.) fecerint. Itaque si ob difficultates speciales conventus nonnisi aliquoties per annum fieri possunt, Indulgentiae illae toties obtineri possunt, quoties per regulas huic Congregationi proprias seu locales, vel per consuetudinem legitimam conventus agitur.

Nisi hoc ita esset, Indulgentias (sive has sive omnes) amitterent omnes illae Sodalitates, quae per ferias aestivas conventus agere desinerent; hae enim certe non habent conventus hebdomadales vel semimenstruos per totum annum. Atqui quisnam hoc dixerit?

Item ex privilegio citato nihil contra mitiorem nostram opinionem sequi videtur. Illud enim privilegium ortum habet ex quaesitu ad S. Congr. Indulg. dato, eiusque responso. Quaesitum enim est a S. Congregatione, num Indulgentiam conventui communi tributam etiam eae Sodalitates lucrari possent, quae bis tantum in mense convenirent. Respondebatur: affirmative. Sed numquid inde sequitur, Indulgentias non lucrari illos qui solum semel in mense, aut etiam ter quaterve per annum conveniant? De hac re nihil quaesitum est, ergo S. Congregatio de hac re nihil respondit. Ex hoc argumento mere negativo *nihil sequitur.*

Vel potius: utique sequitur indirecte *mitioris opinionis confirmatio.* Responso enim S. Congregationis patet illud " *semel in hebdomada* " non esse presse sumendum, seu verbis illis exprimi solum negativum quid: " non pluries quam semel in hebdomada "; neque esse sensum concessae Indulgentiae, *ut a determinato numero conventuum ordinariorum tamquam a condicione Indulgentia dependeat.*

Verum concedimus omnia haec theoretica et probabilia tantum esse et solatio cuidam servire posse eorum, qui nonnisi raros conventus agere permittantur, quod non est de Indulgentiis istis desperandum. In praxi autem, quoad Indulgentias non sufficit probabilitas quaedam theoretica, sed securitas quaeritur. Quare responsum nostrum ita efferimus ad casum: *a*) Congregationes illae *plerasque* alias Indulgentias certo lucrantur, *b*) *hanc,* de qua n. 5 Summarii Indulgentiarum, probabiliter lucrantur, *c*) etiam si vero non lucrantur, tamen Congregatio talis omnino legitime subsistit et non est de eius utilitate dubitandum.

Dicet quispiam: Sed cur non petitur declaratio hoc sensu a S. Congregatione? Respondeo: per se posse peti, sed 1) non videtur necessarium, 2) fortasse ne op-

portunum quidem. Nam tali declaratione fortasse aliqui inducerentur ad putandum, conventus hebdomadarios omnino non esse magni momenti, neque esse valde urgendos. Atqui valde urgendi sunt, abstrahendo a casibus omnino specialibus, uti in illo, qui hic propositus initio est. Aliud enim est, Indulgentias etiam sine frequenti conventu acquiri posse, et aliud est, conventus frequentes esse vel non esse necessarios, generatim loquendo, ad vitam et vigorem Congregationum. Nobis autem omni ope conandum est, ut Sodalitates, ut plurimum, hebdomadarios conventus agant, idque statutis etiam localibus urgeant. Secus enim, generatim loquendo, Congregationes languescunt et dilabuntur.

Suntne Sodalitates " Filiarum Mariae " idem ac Congregationes nostrae ? *Scribit Pater quidam :* " Apud nos magnam impedimentum Congregationum nostrarum parant societates " Filiarum Mariae " a PP. Lazaristis et Sororibus Caritatis erectae, quaeque dicuntur a S. Sede obtinuisse, ut ipso facto Primae Primariae nostrae aggregatae sint. Estne hoc verum ? " *Respondendum videtur :* Societates illae revera a S. Sede omnes indulgentias acceperunt, quas Congregatio Mariana usque ad annum 1847 acceperat. Sed proprie aggregatae non sunt, ideoque nihil commune cum nostra Congregatione habent. Adde, quod solum puellis sunt destinatae et pietatem solam colunt. Verum ubi Directoribus et Directricibus istarum societatum persuadetur (novimus talia exempla), constantiam, universalitatem, efficaciam Congregationum proprie dictarum maiorem esse, quam societatum istarum, facile adducuntur, ut aggregationem petant et regulas nostras acceptent ; quo facto etiam in Congregationes veras transformantur. Nomen tamen " Filiarum Mariae " retinere possunt, quo nomine multae Congregationes etiam aggregatae utuntur.

De readmissione in Sodalitatem. *Scribit Pater quidam, a longo tempore Sodalitatum Director :* " In Regulis nihil invenio de possibilitate vel non-possibilitate *iteratae admissionis in Congregatianem*, ut scl. si quis aut ipse egressus aut dimissus sit ex ea, postea iterum admissionem petere et obtinere possit. In aliqua Congregatione, cuius nunc Director sum, antea communis usus erat, ut Sodales egrederentur et ingrederentur, iuxta quod mox bono, mox mundano spiritui magis obtemperassent. Itaque statuimus Regulis nostris localibus, nullum, qui semel rite probatus et admissus, postea a Congregatione descivisset, denuo in Sodalitatem admittendum esse ; sive ipse Sodalitatem deseruisset, sive dimissus a Directore et Consilio fuisset.

" Aliqui tamen Nostrorum hanc localem nostram Regulam nimiae severitatis accusant, eamque tamquam arbitrariam carpunt. Quibus nos opponimus laxiorem modum procedendi nocivum esse, cum ad subvertendam aestimationem Congregationis conducat et perseverantiae Sodalium ac fidelitati deroget.

" Cum tamen de re ista nihil Regulae generales contineant, submitto rem iudicio R. V. ".

Respondemus : Iudicium auctoritativum nobis non competit ; Secretariatus enim non est forum iurisdictionale, sed consultativum tantum. Regulas tamen locales condere *secundum* mentem Regularum generalium Congregationis a P. Wernz editarum *cuilibet Directori licet ;* hae tamen Regulae locales, si stabiles esse debent, Provinciali (vel Superiori Missionis) approbandae subiiciantur oportet (Reg. 69). Quodsi in casu hoc factum est et approbatio Provincialis obtenta : omnia sunt in ordine, nec quisquam eam Regulam localem carpendi ius habet.

Generaliter autem loquendo nobis quoque videtur intolerabilis esse ille abusus, ut Sodales per ianuam Congregationis introeant et exeant, quasi in admissione non ad totam vitam spoponderint fidem et quasi Congregatio platea esset, per quam transire cuilibet, quando placuerit, liceat. Generaliter igitur videtur *omnino convenire spiritui Regularum, ut readmissio* Sodalibus, qui semel sese hac gratia indignos reddiderunt, *negetur.* Sic etiam reliqui Sodales cautiores erunt et gratiam admissionis magis aestimabunt.

Tamen etiam stante illa Regula locali Directori ius adimendum non est, ut *aliquando iustis ex rationibus exceptioni locum det.* Potest enim esse, ut aliquis ob aliquem defectum dimitti debuerit, postea tamen tantam poenitentiam egerit, adeoque omnibus aedificationi sit, idque per longius tempus, ut resumi inter Sodales sine damno possit. Hos casus diiudicare prudentis Directoris est. Sed verissimum manet pro omni casu : multo maiorem probationem et graviorem causam requirendam esse in secunda admissione, quam in prima.

Sintne officiales singulis annis eligendi ? *Idem Pater interrogat :* " In multis Congregationibus Officiales, praesertim Praefecti et Praefectae, a multis annis iidem habentur, non acsi electiones quotannis fieri omittantur, sed quia semper iidem, utpote dignissimi, reeliguntur. Ut huic rerum condicioni occurramus, statuimus, ut Officiales maiores apud nos *ad triennium* eligantur, quo elapso *iterum ad triennium* eligi possint, *sed non ultra.*

" Regula generali 21 commendatur utique, ut officia *singulis annis* renoventur. Mihi tamen videtur, in ista commendatione magis Congregationes *studiosorum* in Collegiis respici, quippe quae quotannis alios adolescentes in superioribus classibus habeant. Apud adultiores, et praesertim apud feminas, electio quotannis renovata non caret incommodis. Pauci enim sunt vere idonei ; qui, si reelectio non permittitur, nimis brevi tempore officio suo funguntur, si vero reelectio permittitur, manent perpetui Praefecti vel Praefectae etc. Praeterea electiones istae non raro plus aequo *perturbant animos*, nimisque inducunt Sodales ad Officiales suos diiudicandos et criticae subiiciendos. Unde media illa via, quam indicavi, praeferenda nobis videbatur ".

Respondemus : recte omnino talem mediam viam eligi posse. Ceterum ipsa Regula 21 non tantum nihil de annua electione praecipit, sed stricte loquendo ne commendat quidem, sed dicit solum : " Officia renovari *solent* semel in anno ... " Quare etiam alia consuetudo legitima est, neque opus est approbatione P. Generalis, sed (si stabili modo introducitur) solum Provincialis, ut talis consuetudo vim stabilis Regulae localis obtineat.

Adulti Sodales inter pueros ? *Quaerit Pater quidam :* Possuntne remanere in Congregatione adolescentum iuvenes, etiamsi postquam matrimonium inierunt ? Ita, ut ad conventus aliasque Congregationis functiones accedere, sicut ceteri, pergant ?

Respondemus : Hoc *ex iusta causa* aliquando fieri potest; praestat tamen uxoratos in peculiarem Congregationem traiicere. Pro prima parte huius responsi confer Mullan n. 1977; pro secunda Regulam 4, ubi dicitur: " convenit... cum constitutione (Congregationum) organica et iuvat ad fines earum efficacius obtinendos, ut instituantur *aliae pro aliis personarum classibus*, quae aetate, statu vel condicione sunt diversae ", etc.

CHRONICA

Conspectus Congregationum unius Provinciae. Praepositus Provinciae cuiusdam *conspectum Congregationum suae ditionis componi curavit.* Habent eiusmodi synopses illud emolumenti, quod sic uno ictu oculi quid fiat videri potest, statuique, qua de causa aliquando minus efficiatur iusto; quaque ratione, quae alteri Directori evenerunt, alteri usui esse possint. Ex conspectu illo quaedam generali notitia digna hic proferre liceat.

Quaestiones, quibus in conspectu singulae rubricae respondebant, hae erant:

Titulus Congregationis	Genus personarum	Numerus Sodalium			Quoties conventus fiunt	Quo die et qua hora	Sectiones	Conventus non devotionales	Labores peculiares	Quantum Direct. occupent	Quinam sint prospectus	Quis Director	Locus Congregationis
		Activi	Absentes	Candid.									

Ex 145 Congregationibus, quas NN. in illa Provincia moderantur, minor pras (67) feminarum est, quarum quaedam minoris momenti, quaedam tamen — ut ludimagistrarum, studiosarum in Universitate etc. — singularis utilitatis. Congregationibus virorum (78) multo cum fervore operam dent Patres, imo his maximum pondus tribuunt atque magnae auctoritatis et optimae notae Directores dant. Sic in urbe principali Nostri Congregationes *virorum ac iuvenum omnino 27* moderantur: 2 virorum, qui studia academica fecerant, 1 nobilium, 1 studiorum Universitatis, 1 ludimagistrorum, 4 (simpliciter) virorum, 1 industrialium, 1 mercatorum, 4 studiosorum gymnasii et scholae realis, 1 eorum, qui magistrorum futurorum studiis operam dant, 7 iuvenum non studentium, 4 puerorum. Aliae 27 Congregationes eiusdem urbis *feminis* inserviunt.

Sunt omnino Congregationes a NN. illius Provinciae directae:

Virorum :		*Feminarum :*	
Sacerdotum :	4	Matronarum nobil. :	2
Theologorum :	1	Magistrarum :	5
Dominorum :	10	Studiosarum Univers.	3
Studiosorum Univers. :	4	Scholae magisterii :	3
Magistrorum :	1	Virginum :	22
Industrialium :	1	Mulierum :	12
Mercatorum :	3	Studiosarum gymn. etc.	7
Operariorum :	4	Operariarum :	2
Aliorum viror. adult. :	6	Operariarum iuvenum :	5
Scholae magisterii :	1	Puellarum :	6
Iuvenum :	8		—
Studiosorum gymn. etc. :	26		67
Iuvenum operar. :	3		
Puerorum :	6		
	—	*Mixta : 2*	
	78	*Universim : 147*	

Numerus Sodalium in Sodalitatibus singulis varius est. Sunt satis multae Sodalitates, quibus nonnisi 30 continentur, aliae multae circiter 100 membra habent; aliquae paucae ad 270, 300, 360 membra singulae excrescunt.

Conventus, ut plurimum, singulis hebdomadis habent, satis multae tamen 15° quoque die, aliquae singulis mensibus semel. *Dies* conventus rarissime est dies dominica, sed feria quaedam per hebdomadam; *hora*, ut plurimum, vespertina: apud pueros et mulieres 3ia, 4a, 5a; apud viros et studiosos Universitatum hora 7a, 8a vespertina.

Sectiones habent saltem tres partes (') omnium Sodalitatum. Potissimum coluntur Sectiones: Eucharistica, Missionum, preli (stampa, Presse), caritatis, cantus sacri; apud pueros: Missae inservientium, apud feminas: paramenta sacra curantium.

Conventus extradevotionales et opera tot sunt, ut exemplo esse possint. Vix est Congregatio quae solo conventu in templo rem suam absolutam esse putet. Ut plurimum, habent aulam aliquam, in qua ante vel post conventum ordinarium confluunt Sodales, familiariter inter se tractant, libere de rebus agendis conferunt, discussiones religiosas, apologeticas, sociales instituunt, sollemnitates externas (e. g. peregrinationem, academiam, theatrum etc.) parant, viri de vita publica catholicis principiis imbuenda vel de defendenda religione colloquuntur, Sectiones suos labores dividunt etc.

Quantum Director sua Congregatione occupetur, quaestio est, cui variis modis respondetur. Est Director, cui singuli conventus (cum Sectionibus, Academiis, ludis) 4 horas absumant. Alii aiunt sibi non multum laboris praeter ipsos conventus incumbere, cum ipsi Sodales fere omnia per se praestent et ex parte Directoris sola invigilatione quadam et directione spirituali proprie dicta opus sit.

Quinam sint prospectus sperandarum rerum, item diverse exhibetur. Alii conqueruntur, iuvenes aliis associationibus plus aequo a Congregatione avocari. Alii modeste " mediocrem " prospectum indicant. Maxima tamen pars spem " bonam ", multi " valde bonam ", aliqui " excellentem " concipiunt. Aliqui conqueruntur de Directricibus, maior tamen pars eas laudat. Aliquis iudicat omnia optime eventura, nisi Directores saepe mutentur. Tandem unus sapienter addit: qualis Director sit, tales futuros esse Sodales.

Manifesta est utilitas talis conspectus laborum nostrorum et modus agendi Provinciae illius etiam aliis praelucere potest.

Conventus Nostrorum viriles Sodalitates Marianas moderantium, diebus 23-24 aprilis 1924 Patavii habitus. Morem gessurus Superioribus Societatis, quibus summopere cordi est, ut Marianae Sodalitates magis ac magis evolvantur ac florescant, P. Ambrosius *Fiocchi*, earumdem in Provincia Veneta promotor, Patres Moderatores suae Provinciae Patavium coegit, qui diebus 23 et 24 mensis aprilis anni labentis eo de argumento simul conferrent. Res his quatuor capitibus comprehensa est:

1. Sodalitatum Marianarum *momentum et vis* ad praeparandam fulciendamque Actionem Catholicam (referet P. Ambrosius *Fiocchi*);

2. De *spiritu et de operibus apostolicis* Sodalitatum

B. M. V. et de apta Sodalium pro eorum aetate institutione apostolica (referet Alexius *Magni*);

3. De iis, quae ad *alacriorem vitam* Sodalitatum nostrarum *extra Collegia* excitandam maxime conducunt et de periculis atque impedimentis arcendis (referet P. Antonius *Gianini*);

4. De ratione provehendi Sodalitates *nostrorum Collegiorum* et de *constantia iuvenum* post Collegii curriculum (referet P. Leonidas *Grazioli*).

Tredecim fuere Patres, qui convenerunt, quorum consessibus ipse Provinciae Praepositus, P. Joannes B. *Battisti* praefuit. Is Patres hortari ita exorsus est: mox habendas deliberationes maximi momenti fore, quod moderatores Actionis Catholicae animos mentesque in Sodalitates Marianas hoc praecipue tempore converterent, cum omnes sentirent, hominum indoles effingendas iam esse ad uberiorem solidioremque spiritus communicationem; motui nimis centrifugae actionis catholicae obviam eundum esse motu centrum petente, seu profunde religioso, qui simul operosae actionis uberiori esset incitamento; in Sodalitatibus porro Marianis cerni non solum perfectam optatae institutionis imaginem, verum etiam instrumentum efficax in iis rebus obeundis, quae tam ad Fidem profitendam quam ad apostolatum christianum augendum spectarent. Quae cum ita essent, nunc opportunissime accidere, ut proprius nostrarum Sodalitatum spiritus denuo excitaretur, ita ut eae ad maiorem Dei gloriam temporum necessitatibus et bonorum exspectationi satisfacerent.

Conventu ita inchoato, de primo e quatuor prolatis argumentis dicere coepit P. Ambrosius *Fiocchi*, cuius gravissima oratio, Patrum disputationibus permissa, hisce summatim continetur:

1. Cum Actio Catholica, qualis a Christi Vicario statuitur, sibi maxime requirat interiorem spiritum christianum et studium generosum adiuvandae aeternae hominum salutis;

2. cum porro Sodalitates Marianae, seu spectas earum institutorum rationem, seu consulis earumdem antiquam ac recentem historiam, plane ostendant, se palaestram esse praestantissimam ad apparandam secundum illius spiritus principia Actionem Catholicam, et secundum eadem principia esse simul certum fulcimen ad illam servandam;

3. cum praeterea Sodalitatum *Regulae Communes* iubeant Sodales apostolicis quibusdam muniis excerceri, Ecclesiae iuvandae gratia:

optatur:

1. ut sua Sodalitati Marianae facultas et dignitas suusque vultus serventur, plane diversa a facultate vultuque Circulorum et aliarum consociationum catholicae militiae;

2. ut Moderatores in instituendis Sodalibus, quacumque sint aetate aut coetu, opportune proponant explanentque praesentissimas quasque Actionis Catholicae quaestiones, iisque afficiendam curent mentem animumque in primis iuvenum, quos ad recte sentiendum secundum Summi Pontificis normas adducant;

3. ut Sodales antiquiores et bene instructi, pro ipsorum viribus, consociationibus catholicis adlaborent, homines videlicet *commissionibus paroecialibus* et iuvenes Circulis aliisque iuvenilibus sodalitiis nomen dando, ita tamen, ut cum Sodalitate eiusque Moderatore arctissime coniuncti maneant, a quibus incitamenta et consilia ad munus suum recte obeundum capiant;

4. ut in ipsis Sodalitatibus non solum publica catholicae vitae manifestatio sollemniter celebretur, e. g. anniversaria Summi Pontificis commemoratio aliaque id genus, verum etiam, ubi liceat, *Sectiones* constituantur accommodate ad cultum et incrementum quorumdam operum Actionis Catholicae (Sectiones culturae socialis, apologetices etc.).

Hisce propositionibus valide intercessere haud pauci; sed sententiis hinc inde disputatis effectum est, ut omnes ad unum illas oppido comprobarent suasque facerent.

Alterum argumentum alter pertractavit orator, cuius summa, non sine aliqua emendatione, cunctis ita probata fuit:

1. Cum Sodalitas Mariana suapte natura et ex eius Regulis atque Praepositorum Generalium apertissima declaratione debeat spiritu apostolico pollere;

2. cum autem fines eius apostolatus eo se protendant necesse sit, quo sese porrigat Dei regnum et quo singularum Sodalitatum vires pertingere valeant;

optatur:

1. ut Moderatores quam diligentissime informent ad apostolatum Sodales suos, eos urgendo ad fervorem apostolicum exercendum, edocendo de exemplis Sodalitatum magis florentium, proponendo varia opera, apta ad tentamen zeli subeundum etc.;

2. ut Sodalitas suas habeat *Sectiones* apostolicas (de Missionibus, cathechesi etc.);

3. ut Moderator quosdam seligat Sodales, qui, accuratissime instructi, omnium operum apostolicorum Sodalitatis fiant et mens et vis;

4. ut singillatim excolantur: in *pueris* amor Missionum exterarum et studium inserviendi sacris ritibus, eo animo, ut aliquo apostolatu fungantur, — in *adolescentibus* apostolatus primum morum exemplorumque ubique, domi et in scholis; deinde verbi, inter socios et consanguineos; tum boni Sodalitatis propagandi (Reg. 43), Moderatore certiore facto de operibus susceptis et fructibus collectis, — in *iuvenibus* et cuiuslibet ordinis *viris* apostolatus caritatis, pro aegrotis et pauperibus, et catecheseos in paroeciis tradendae; Excercitiorum Spiritualium, ad iuvenum et opificum commodum atque utilitatem; verbi, privatis et publicis recitationibus seu auditionibus; christianae fortitudinis, in locis rebusque difficilibus.

In deliberatione, quae tertiam quaestionem secuta est, non defuere, qui ab oratore quibusdam in rebus dissentirent; sed una fuit omnium mens, damno esse Sodalitati, si loco apostolatus ludos athleticos quasi proprium finem prosequeretur. Haec autem optata sunt:

1. Ut Superiores, quantum possent, seligerent Moderatores, qui dotibus ornati essent aptis ad fovendas Sodalitates secundum earum nativam indolem (cf. ep. R. P. Vitelleschi, 8-X, 1631), eosque sinere suum munus diu agere, in quo quisque perficiendo ne cederet labori animove desponderet;

2. ut evitaretur diversorum coetuum in eadem Sodalitate commixtio (Reg. 4), quae, ubi forte incideret, prudenter solvenda foret; studium vero admittendi solum eos, qui idoneos se praeberent, praestaret soli cupiditati multitudinem habendi;

3. ut Moderator curaret et communem et proprium

singulorum Sodalium progressum in spiritu; ut esset confessariorum copia; absentiae in libro adnotarentur; sacri ritus decori et tempestive peragerentur; Sodalitatum festus dies quotannis celebraretur, convocatis ad solemnem consecrationem omnibus urbis Sodalitatibus;

4. ut Moderatores cum *promotore* Sodalitatum consuetudinem haberent, et eum invisurum suam Sodalitatem interdum invitarent.

Postremo fit gressus ad ultimam disceptationem, cui omnes, qua erat gravitate, animosius intersunt. Primum orator Sodalitati alumnorum principem in Collegio locum vindicavit; deinde detexit causas, cur eiusmodi Sodalitates apud nos saepe languerent, nimirum quod Sodalitas aestimaretur Collegii additamentum neglectu facile, Moderator non consuleretur, cum esset agendum vel de Sodalium disciplina vel de operibus, quae per Sodalitatem felicius iniri possent, eximie facta a Sodalibus non proponerentur condiscipulorum admirationi, Sodalitatis nomen ac momentum ab alumnorum familiis ignorarentur; quibus praeterea rebus accederet vani Praefectorum disciplinae timores et nimia feriarum autumnalium diuturnitas. Tandem suum consilium, ad normam auditarum animadversionum tantisper commutatum et Conventui sancitum, exponit hisce verbis:

1. Cum Sodalitas Mariana non tantum ortus suos referat acceptos Collegiis, verum etiam pro nostris alumnis commendetur in Instituto et semel atque iterum in Instructionibus Praepositorum Generalium;

2. cum necesse sit, habeatur in nostris Collegiis selecta adolescentium manus, qui optimam de se spem faciant et ceteris sint exemplo ac stimulo;

3. cum Collegium suppeditare debeat iuvenes ad omnia vitae certamina paratos, qui etiam in actione religiosa excellant;

optatur:

1. ut Sodalitates Collegiorum ea existimatione eoque studio apud Nostros gaudeant, quae merito exposcunt;

2. ut eaedem actioni catholicae et vitae in publicis Universitatibus gerendae initientur;

3. ut Sodalium delectus severe fiat, in iisque admittendis aetas, pietas, indoles bene perpendantur;

4. ut Moderatores convenienti fruantur libertate tam agendi cum iuvenibus, quam inchoandi opera Sodalitatis propria;

5. ut privata quaedam Sodalibus concedantur, prout decet, e. g. aula ad simul conveniendum, aliquae, praemii causa, peregrinationes et similia;

6. ut consociatio Parvorum Crucesignatorum ss. Eucharistiae praeparet futuros Sodalitatis Marianae socios.

Quibus disceptatis novoque ardore zeli Mariani accenso discessere Patres, Praeposito eos hortante, ut ea quae dicta et collata essent, mox opere ac vita ipsa apparerent.

JULIANUS CASSIANI S. J.

Berlin in Germania. *Congressus Congregationis Virginum*, de quo breviter iam scripsimus (A. O. 6, 76), ostendit, quanto cum fructu Congregatio vel inter catholicos dispersos, seu in diaspora, ut dicitur, efficere possit. Congressus ille vero triumpho erat similis; triumpho sensus vere catholici et apostolici in terra illa Protestantium plena.

Maxima aula publica urbis, cui *Philharmoniesaal* nomen, pro hoc die conducta fuit, ac splendide ornata; Deiparae statua in medio collocata. Aderant omnes Congregationes Berolinenses virginum, suis quaeque vexillis ductae. Praesidebat coetui R.mus Administrator Apostolicus, *Episcopus Dr. Deitmer*, cinctus spectatissima hospitum corona; nec deerant Protestantes benevoli, qui curiositatis gratia eiusmodi sollemnitati interesse optarant.

Prima ad coetum *D. Otto*, Centri Caritatis Friburgi Brisgoviae administra, dixit. Experientiae nixa, quam in centrali illa organisationis caritativae palaestra per decem annos acquisierat, ingentem ostendit populi miseriam animi non minus quam corporis; quam tantam esse arguit, ut eleemosynis vel laboribus parvis et occasionariis ei medicinam afferri prorsus impossibile esset. Miseriae cumulativae nonnisi labore cumulativo et bene ordinato occurri posse asseruit. Hac in re Congregationem ad magnas res praestandas vocatam esse. Sodales debere esse quasi angelos custodes singularum paroeciarum, qui dum semper orant ante faciem Patris pro populo, simul opem cum sacerdotibus conferunt ad egestatem corporis et animi multis sublevandam. Exemplo suo defendere debere Sodales Ecclesiam inter infaustas discordias, esseque necesse, ut Sodales fierent vivae Evangelii imagines, in quarum transitu idola Aegypti, falsae inquam de Ecclesia catholica opiniones, corruerent.

" De Congregationibus et futura sorte populi nostri " deinde Dr. Fleischer, deputatus ad publica comitia, peroravit. Genus humanum, inquit, gravibus confossum est vulneribus; isque est error multorum fundamentalis, quod putent, vulnera ista meris naturae viribus sanari posse. Non ita catholici homines sentiunt, nam catholicum esse idem est ac terram pro coeli limine, tempus pro aeternitatis aurora habere. Sola vera fide et Jesu Christi virtute salus mundo restitui potest, quo in labore mulieri praeclara pars contingit operis. Congregationes Marianae mulierum, matrum et institutricum, novam catholicorum generationem educent oportet, quae temporum vulneribus medicamenta illa apponat e Christi vulneribus profluentia ac delicta totius generis humani abluentia.

Finem concioni *Episcopus* imposuit, qui Sodalium Directorumque diligentiam laudavit eosque adhortatus est, ut, sicut de Apostolis perhibetur sacris Litteris, " essent unanimiter perseverantes cum Maria Matre Iesu ", et sic imbuti Spiritu Sancto ad veram fidem propagandam et defendendam prodirent.

Lectum interea est telegramma Summi Pontificis per Cardinalem Gasparri transmissum, quo Sanctus Pater tam frequenti celebrique coetui gratulabatur ac benedixit. Incredibili gaudio hac Sanctae Sedis benevolentia omnes, qui aderant, perfundebantur.

Ante hanc solemnitatem *solae Praefectae aliique Magistratus Congregationum Virginum* Berolinensium in domo exercitiorum Bliesdorfii, prope Berolinum, triduanis sacratae sunt exercitiis, quibus *Consultationem collectivam* addiderunt valde profundam et utilem. Consultationis huius puncta imitationis gratia hic subiungimus. Erant igitur quaestiones hae propositae et discussae:

1. Quaenam officia ipsis Congregationibus et peculiari modo Magistratibus Congregationum incumbant?

2. Quaenam sit condicio religiosa et moralis metropoleos nostrae?

3. Quid membris Consilii agendum sit in operibus religiosis Congregationis?

4. Quid in ipsa vita interna Congregationis?

5. Quaenam sint peculiariter attendenda in magna aliqua civitate?

6. Quaenam sint praerequisita religiosa et moralia ad vitae familialis felicitatem?

7. De sensu et affectu materno etiam extra familiam propriam extendendo.

8. De organisationibus iuventutis et de Congregatione.

9. De labore in Sectionibus *a*) stricte religioso, *b*) culturali et recreativo.

10. De educatione individuali singulorum.

11. De educatione sui ipsius, tamquam condicione omnis apostolatus externi.

12. De Foederatione Congregationum.

J. T. S. J.

Nota Editoris. Ex his omnibus omnino apparet, etiam in Congregationibus feminarum serio labori locum esse.

Sed heu, quoties non sunt Congregationes illae femineae nisi coetus inactivi pietatis cuiusdam sterilis et otiosae!

Montreal *(Canada). Congregationes Studiosorum in Collegio nostro Loyolaeo* annuam suam relationem de vita operibusque suis nobis miserunt. Ex qua relatione praeter cetera id mentione dignum est, quod iuvenes Sodales ad *zelum Missionum exterarum* inter se et condiscipulos suos excitandum fecerunt. Praeterquamquod 8-10 ephemerides de Missionibus tractantes lectitant et propagant, fere ad 70 iuvenes induxerunt ad nomen dandum societati, quae vocatur: " *Canadian Catholic Students' Missions Crusade Society*". Missionarios in urbem adventantes invitant, ut eis de Missionibus exteris verba faciant. Colligunt tam pecuniam quam libros vestemque ad usum sive neophytorum pauperum, sive Seminariorum Missionum. Altera Sectio Sodalitatis *doctrinae christianae tradendae* operam dat. Exeunt ad compita suburbesque pauperum zelosi iuvenes et pueros puellasque populares catechesi excolunt, eos praesertim, qui publicas scholas adeunt pabuloque sacrae doctrinae carent. Ingenuose simul ac sancte *mensem Maium* omnes obierunt, extremumque huius mensis diem laetis simul ac piis sollemnitatibus sub divo ornarunt. Cordi Jesu colendo per Apostolatum Orationis operam dant. Hic quoque usus docet, ibi demum Sodalitatem vere florere, ubi Sodales cum ad virtutis studium, tum ad apostolatum serio exercendum scite inflammentur.

" *Promoveantur in primis Congregationes Marianae* discipulorum nostrorum, iuvenum, virorum, opificibus et pauperibus minime omissis.

Quo uberiores fructus ex iis percipiantur:

1° *Moderatores* quam aptissimi seligantur et bene formentur, neque facile mutentur;

2° Sodales *caute adlegantur*, sciteque *instituantur*; ac praesertim interiore vitae christianae spiritu imbuantur, solidisque virtutibus confirmentur;

3° Ad opera caritatis et misericordiae exerceantur atque inflammentur ad *animarum zelum* et ad rem catholicam strenue defendendam;

4° *Coniunctio Sodalitatum inter se* foveatur sive Congressibus Moderatorum, sive aliis mediis, spiritui Sodalitatum consonis atque a Superioribus rite approbatis". (*Decr. 226 Congr. Gen. 27*).

NUNTII MINORES

Signa postalia colligere pro Missionibus, opus est valde simplex et facile, ac tamen non parvi emolumenti. Sodales nostri, praesertim iuvenes, induci possunt, ut signa suae gentis collecta Sodalibus aliarum gentium hinc et illinc transmittant, cum sic valor eorum multum augeatur. In Austria Sodalitas Scholae nostrae Apostolicae (Missionsbund, Kolleg Freinberg, *Linz a. D.*, Austria) libenter acceptat signa postalia et libenter pro eis transmittit signa austriaca et finitimarum nationum.

Decorationes Sodalium iubilantium. In aliqua Sodalitate virorum Viennae in Austria mos est: Sodalium numismatis, ubi vigesimum quintum annum in Sodalitate expleverunt, *coronam* frondium *argenteam* circumdandi; post quinquagesimum vero annum *coronam auream.* Sunt qui etiam auream iam coronam obtinuerint. Quantum hoc decus illis, quantum aemulationis sacrae incitamentum! Pulcherrimus ille mos etiam alibi imitationem merebitur.

Bogota in Colombia. Etiam in Collegio " de Mercede " nuncupato inter Scholasticos nostros instituta est *Academia Mariana*, quae die 4 Martii 1923 esse coepit, praeside P. Faustino *Garaizábal.* Conventus singulis mensibus habentur, prima semper mensis dominica hora 5 1/2 vespere, per horam. Tractantur imprimis quaestiones de modo Sodalitatem regendi, deinde etiam varii modi apostolatus in ea exerceri soliti. Ipsi Scholastici, ut talis Academia institueretur, petierant. — *A. M.*

Conferentias de Congregatione Mariana, deque modo eam regendi P. I. *Rutten* Patribus tertiae Probationis in *Tronchiennes* (prov. Belg.) dedit, rogante id P. Instructore.

Primus numerus " Aciei Ordinatae " adhuc sat magno numero prostat forma illa minore, qua sequentes numeri prodierunt. Cum in Europa primum numerum omnibus forma *maiore* miserimus, libenter novum fasciculum *minoris* formae mittemus iis, qui chartula missa id a nobis postulaverint.

Secretariatui nostro centrali Congregationum auxilio advenit in Urbem P. Laurentius *O'Keeffe* (Prov. Calif.), qui praesertim Provinciis *anglico sermone utentibus* operam et servitium suum offeret.

TELEPHONIUM EDITORIS

Ad marginem epistolae cuiusdam ex Indis acceptae

" Vix imaginatur R. V., quanto gaudio et solatio nobis ACIES ORDINATA adveniat. In parvis Stationibus Missionum haec ephemeris unica fere bibliotheca est Missionario, qui simul Congregationi Marianae moderatur... "

Editor aestivis cedens ardoribus Urbis
Obdormivit, uti celebrem quandoque poetam
Dormitasse bonum, fama est, ipsummet Homerum.
Pingere iam rubea festinat imagine mentem
Morpheus multiplici, vero subtexere pulchrum
Qui solet. En celeres revolant, velut agmine ducto,
Fasciculi, quorum fronti est impressa modestae
Vox " Acies "... Numeri, sexto quos mense recusos

Editor in cunctas transmisit terricolarum
Partes... Nunc redeunt Romam, sua fataque narrant.
" Ecce Pater ", gestit numerus manibus bene tritus;
" Non me misisti frustra lustrare Sodales!
Magna domus, multos socios quae nutrit, amoeno
Hospitio me excepit; amant quod opuscula docti.
Mulcebant oculis, iterumque iterumque legebant.
Ample laudabant, quae recte pleraque dixi;
Quaeque minus placuere: crisin subiere benignam ".
Alter adest numerus, qui trans mare viserat oras,
Oceanasque citis ratibus traiecerat undas.
" Quae tibi sors fuerit, narra! " - rogat Editor. Ille -
" Optima prorsus! - ait placidoque micabat ocello -
" Vix adventantem me Bibliotheca recepit
Splendida; vicinos veritus sum cernere libros
Exiguus forma, vel ephemerides bene crassas.
Me licet insolitum lingua, formaque modestum,
Americae excepere Patres gaudenter. Et ipsi
Virgineas acies vobiscum ducere certant,
Festinantque obolos tibi mittere dollariorum ".
Tertius accedit: " Mihi non ita sors bona risit.
Et veni et vidi, sed vincere fata negarunt!
Subridens aliquis me volvere coepit et ' Utquid
Talibus (inquit) opes Romae terit ille viresque!
Non ego curabo conamina temporis acti;
Tempore mutato mutentur et arma viaeque!
I liber in cistam chartarum dirutus; ecquid
Perdere tempus ego cogar tua verba legendo? ' ".
Editor ingemuit, lacrimatus fata libelli,
Sed quartus maestum solamine mulsit amoeno:
" Est Pater in terra spinis tribulisque referta
Abditus, inculta circumdatus undique gente.
Irrigat arva sacro sudore ingrata minister
Impavidus Christi, parvumque gregem Mariano
Excolit auxilio, cogitque fovetque Sodales.
Heu quoties fractis fere dixit viribus ipse:
' Vae soli! Durum est uni tot ferre labores,
Voceque destitui solaminis et sociorum! '
Quando peregrinum primo sua limina vidit
Me ingressum, gratos oculos ad sidera vertit,
Ingemuitque: ' Patri benedicat Virgo fideli,
Qui sociis Jesu cunctis moderatur in orbe,
Avulsos quoniam solari curat ab oris
Nativis socios, durosque levare labores! '
Pagellas oculis non siccis legit easque
Usque relegit, et esse domi se sensit amicos
Inter similium rerum socios, Marianas
Ducere liliferas acies quicumque solebant.
' Non ego solus ero, dum nuncius iste frequenter,
Quid socii tentent, quid vincant, usque redicet!
Quamvis absentem teneat me sors procul illis,
Unitum video me tot tantisque meorum!
Grande mihi decus est cum tantis fratribus esse
Virgineoque exercitui praeducere signa '.
Dixit. Ego laetam tibi veni dicere sortem ".
Vix ea fatus erat... portam pulsare Ministrum
Editor audit. (Erant heu somnia vana soporis!)
" Ecce Pater, venit - sic hospes - epistola ab Indis ".
Editor allatam legit... Et iam disiicit umbras
Frontis et ad calamum redit illico laetus inertem
Aiens: " Ecce, mihi quae ludicra somnia tantum
Paruerant, ea nunc eventu vera docentur!
O mi care Pater, summas ago iam tibi grates
Laetus ego semper, si vos perfundere quamvis
Laetitia possum tenui, pugiles Crucis almae!
Non labor hic frustra est, dum tantis fratribus esse
Servitio, licet exiguo, permittor et ipse.
Athletis Christi tantis servire decorum est,
Summum et solamen sociis solatia ferre! "

Rogantur RR. PP. Superiores domorum, ut appositam huic numero chartam postalem, expletis explendis in ea, nobis quam citissime remittere velint. In antecessum pro ista benignitate gratias agimus! Habet autem charta illa hanc quaestionem: quinam PP. in illa domo Congregationibus Marianis regendis pro novo anno scholari utcumque adscripti sint (sive ut Directores, sive ut adiutores)?

Supplementum I periodici nostri, seu numerus I " Silvae Marianae " sequenti fasciculo addetur: *Brevis Catechismus Congregationis Marianae,* autore A. Bangha S. J. Fasciculus ille etiam Directoribus externis vendetur: 1 exemplare (pecunia italiana) L. 0,50, 5 exemplaria L. 2,00, 100 exemplaria L. 25,00; expensis transportationis inclusis. - *Supplementum II* continebit Regulas Generales Congregationis, quarum textum authenticum Directores, praesertim externi, generatim neque habent, neque acquirere possunt. Pretium Supplementi II idem erit ac I.mi; quare II quoque Supplementum peti iam potest et pretium eius mitti simul cum I.mo. — Gratum nobis erit, si RR. PP. qua verbo qua scriptis haec Supplementa (" Silva Mariana ") Directoribus etiam externis nota facere voluerint.

Articulis « Aciei Ordinatae » libere uti possunt NN. quolibet modo, sive in scribendis articulis, sive aliter, neque opus est aut facultate speciali editoris, aut citatione ephemeridis nostrae.

P. A. C. Reverentia Vestra optaret, ut *Manuale Directorum* solos nostros respiceret, imo ut directio Congregationum magis Nostris reservaretur. Sed inutilis haec posterior disputatio apparet, cum ipsi Summi pontifices Congregationibus regendis sacerdotes externos operam dare iusserint. Gaudeamus potius, quod alii quoque bene coepta opera nostra propagant Utique: dummodo recte id faciant. Sed praecise ad hanc finem conferet, si eis Manuale quoddam aptum tradetur. Verum est, res quasdam inter solos Nostros discuti oportere; sed ecce huic fini occurrere nitimur per ephemeridem nostram solis Nostris destinatam. Sic omnia erunt in ordine.

Pluribus. Uti iam scripsimus, aggregatio Congregationum ab Episcopis erectarum (a novo Codice) non potest dari, nisi *testimonio scripto* constet, Episcopum non solum *erexisse* Congregationem, sed etiam *consensisse, ut haec ad Primam Primariam aggregaretur.*

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24